

primatur, an sit filia spiritualis, vel compateritas; an baptizaverit, aut tantum susceperit. Idem dic de Confirmatione. Item nulla est, si petatur dispensatio super crimine uxoricidii, non exprimendo similem dispensationem jam fuisse obtentam. Item si dispensatus super defectum natalium ad Ordines & Beneficium, postea petat dispensationem super pluralitatem Beneficiorum, non exprimendo iterum defectum natalium. Item, si dispensatio petatur in formam pauperum, & petens non sit verè pauper. Et hæc omnia, & quedam alia ex stylo Curie Romanæ.

In triplici forma petitur dispensatio: In forma pauperum, honestorum, & nobilium. Ut aliqui censeantur verè pauperes, debent esse tales, ut de suis laboribus & industria tantum vivant; & ita debet exprimi in petitione, ita ut si omittatur tantum, inutilis sit petitio. Unde non censentur pauperes, qui honestos habent redditus, quibus suam familiam cum aliquo labore & industria sustentant. Pauper autem censetur, qui non habet in bonis quinquaginta aureos. Debet exprimi in petitione paupertas ex utraque parte.

§. V. Quaedam Quæstionum materiam dispensationis spectantes breviter resolvuntur.

Petes r. Utrum, quando Romani apponunt in dispensatione alias causas, quam eas, quas exposuit orator, illæ debeant esse veræ, ut sit valida dispensatio? R. Negativè: sed sufficit, quòd, quæ ab oratore proponuntur, sint veræ; non enim ipse propter aliud petit dispensari, & revera propter illas dispensatur: aliæ autem apponuntur ex stylo Curie, & ne videatur data dispensatio propter leviores causas.

Petes 2. Utrum voto castitatis adstrictus valide dispensetur ob fragilitatem, quam precibus, jejuniis, & macerationibus extraordinariis absolutè vincere posset? R. probabilis affirmativè; quia periculum est, ne etiam ob fragilitatem in istis mediis extraordinariis adhibendis deficiat: secus arbitror, si per media communia & facilia adhiberi solita posset eam superare. Itaque caveatur, ne nimium exaggeretur fragilitas.

Petes 3. Utrum, defuncto Dispensatore, cesser dispensatio? R. Negativè: quia gratia non expirat morte concedentis cap. Si super, de officio delegati in 6. quod etiam verum est, quamvis dispensatio concessa sit ad revocationem; quia Dispensator vivens non revocavit, nec mortuus revocat: secus, si dixisset, donec volnero, aut donec placuerit: Mortuus enim non vult amplius, nec illi amplius placet.

Petes 4. Utrum renuntians dispensationi incurrat denudè obligationem Legis? R. affirmativè, si suam renuntiationem manifestet dispensanti eam acceptanti; secus, negativè: quia a solo superiore dispensante pendet obligatio legis. Unde semel extincta per illum solam potest reviviscere. Et ideo, si privatum solo verbo vel facto renuntiaveris dispensationi nubendi Berthæ consanguineæ & aliam duxeris, mortua priore Coniuge, potes adhuc post plures annos ducere Bertham. Alia ratio est de dispensatione in voto; quia, cum ejus obligatio pendat a voluntate voventis, videtur, quod hoc ipso, quo renuntiat; etsi sola mente, dispensationi, reviviscat votum; aut, ut alii dicunt, novum implicitè emittat.

ARTICULUS IV.

De Interpretatione Legum.

Interpretatio generalitèr sumpta est, ut jam dixi, legis obscuræ explicatio, qua declaratur in tali casu obligare, vel non obligare. Est duplex; una verbalis, quæ dicitur simpliciter interpretatio, & est explicatio verborum conformitèr ad mentem, quam habuit Legislator condendo legem. Altera, quæ dicitur Epikia, & est explicatio mentis, non quam habuit Legislator condendo legem; sed quam habuisset, si ad præsentem causam attendisset, & quam haberet, si hic & nunc consuleretur.

II. Iterum triplex est Interpretatio, authentica, usualis, & doctrinalis. Authentica, quæ fit ab ipso Legislatore: illius enim est legem authentice interpretari, cuius est condere; & hæc interpretatio debetèr promulgata habet vim legis. Usualis, quam facit consuetudo, quæ dicitur L. 35. ff. de legibus, optima legum interpretès. Et, sicut consuetudo potest habere vim legis, ut antea diximus, sic & ejus interpretatio. Doctrinalis est, quam viri prudentes & sapientes, aut etiam in necessitate quicumque alii faciunt ex æquo & bono, dum abest Legislator, & tacet consuetudo.

III. In legum interpretatione servandus sensus verborum proprius, communis, & magis receptus, nisi sequatur aliquid inconveniens; quia jure præsumitur, Legislatorem in hoc sensu locutum fuisse.

Lex favorabilis, & nulli nociva debet ampliari; odiosa restringi, juxta regulam Juris 16. in 6.

In legibus humanis non fit regularitèr argumentum a pari: quia in his, quæ pendunt a libera voluntate, non concluditur a pari; obligatio autem legis humanæ non tam pendet a ratione legis, quam a libera voluntate Legislatoris, quæ est de illo casu & non de isto, quamvis simili. Secus in lege naturali propter oppositam rationem, quia obligatio illius est ex natura rei, & ex ipsa ratione, quia dum militat pro uno casu, militat paritèr pro simili.

Dixi: Regularitèr; quia in correlativis, ut in marito & uxore, & in his quæ jure æquiparantur, ut in exequente & mandante, & in iis, quorum unum subordinatum alteri tantum imperfectum perfecto, ut ova carnibus, respectu illius, cui conceditur manducare carnes, fit argumentum a simili.

IV. Quantum (Hic quest. 96. art. 6. a.) ad Epikiam, certum est paritèr illam habere locum in legibus humanis: quia leges ad communem utilitatem feruntur generalitèr, & secundum ea, quæ in pluribus accidunt; neque Legislator potest omnes casus prævidere & excipere: contingit autem multoties, quòd aliquid observari sit in pluribus communi bono utile, quod tamen in aliquibus casibus sit nocivum. Unde, si emergat casus, in quo observantia talis legis sit damno communi utilitati, per Epikiam non est observanda. Sicut, si in Civitate obsessa statuat lex, quòd portæ Civitatis maneat clausæ, hoc est utile communi saluti ut in pluribus: si tamen contingat casus, quòd hostes insequantur aliquos cives, per quos civitas conservatur, damnosissimum esset Civitati, nisi eis portæ aperirentur, & ideo in tali casu portæ Civitatis essent aperiendæ contra verba legis, ut servaretur utilitas communis, quam Legislator intendit.

Itaque Epikia habet locum, 1. quando observantia literalis legis est nociva bono communi. 2. Quando adfert notabile detrimentum observanti in sanitate, fama, aut fortuna; hoc enim redundat contra bonum commune. 3. Quando est contraria legi naturali, vel humane superiori, aut ex aliqua alia circumstantia fit iniqua, aut nimis dura. Quia meritò præsumitur non fuisse mentem Legislatoris, ut in his casibus lex obligaret: quod paritèr dicendum est de aliis casibus, in quibus fundatè eadem præsumptio haberi potest.

V. Sed, quia quandoque est evidens, quandoque dubium observantiam litteralem legis esse nocivam, aut iniquam, non eodem modo se gerere debet subditus. Quando est evidens, sicutum est, etiam non consulto Legislatore, uti Epikia, & agere contra verba legis, sive res patiar moram, sive non: Quia in manifestis, inquit Auctor (2. 2. quest. 120. art. 1. ad 3.) non est opus interpretatione, consequenter nec dispensatione, sed executione. Quando non est evidens, sed probabile tantum, aut etiam probabilissimum, & res fert moram, consulendus est superior, antequam quidquam agatur; quia probabilitas, aut probabilioritas non sufficit ad agendum securè, ubi veritas potest haberi manifesta: & propter similes casus superiores habent auctoritatem dispensandi in legibus. Si res non ferat moram, manente dubio non licet uti Epikia, sed agendum secundum verba legis; quia in dubiis tutior pars est eligenda. Si autem probabilis sit, non esse mentem Legislatoris, ut lex obliget in hoc casu, si eum perspectum haberet, licet uti Epikia, & agere contra verba legis, quia licet sequi quod probabilis est; & ut dicit Auctor hic in fine articuli: Ipsa necessitas habet dispensationem annexam.

Petes, an liceat paritèr uti Epikia in legibus infirmantibus contractus? R. Probabilis negativè propter graviam inconvenienciam, quæ contra bonum publicum inde nascerentur, & quæ prævalent malo quantumvis gravi alicujus particularis. Si namque liceret uti Epikia in lege irritante v. gr. matrimonio clandestinam, contractus minorum, aut sine tabellione mitos, concubinatus & fraudes ubique grassarentur in perniciem Reipublice. Adde, quod contractus non stet sine forma, quæ per illas leges præscribitur.

In animo erat hic agere de Privilegiis in genere & specie, quibus aliqua mutatio contingit in legibus, sed ne præsens volumen nimium exerescat, ab hac materia nunc supersedeo, alias fortè resumenda.

De lege veteri & nova nemo melius, nemo fusiùs, quam noster Doctor Angelicus; ideo & quia de utraque parte disseritur in scholis, Lectorem ad eundem S. Doctorem remitto.

TRACTATUS DE GRATIA.

D. Thom. a Quest. 109. ad Quest. 114.

DISSERTATIO I.

PREAMBULA.

De variis Erroribus circa Gratiam.

Circa gratiam fuerunt errores extremè oppositi. Quidam negarunt gratiam, ne læderent liberum arbitrium; & hi fuerunt Pelagiani, & Semi-Pelagiani. Alii negarunt liberum arbitrium, ut adstruerent gratiam; quales sunt Lutherani, Calvinistæ, & Jansenistæ.

ARTICULUS I.

De Pelagianismo.

Quidam Pelagianismi originem repetunt ab ipsa creatione mundi in ipso Lucifero & Adam prævaricatori, qui divinam virtutem adicipi contendunt; deinde a Judæis, totam spem in lege, & ex ea suam justificationem repositibus, quos ideo Apost. ad Rom. & ad Galat. redarguit. Communitèr autem primus Pelagianismi, & plurium aliarum hæresum parens dicitur Origenes. Undè Hieronymus Ep. ad Ctesiphontem vocat Pelagianismum doctrinæ Origenis ramusculum. Recensentur etiam inter hujus hæresis Parentes Theodoros Mopsuestenus & Rufinus, a quo Pelagius & Coelestius dicuntur errore imbuti. Au fuerit iste celebris Rufinus Aquilejensis, an altæ Syrus, aut Palæstinus, disputant Eruditè probabilis fuit Aquilejensis.

§. I. Synopsis historica Pelagianismi.

Fuit Pelagius natione Brito, sive Anglus, sive Scotus, sive Hibernus. Ex Ang. Ep. 108. ad Paulinum, & ex §. Prosp. Carm. de ingr. professione Monachus. Ex Mar. Mercat. in com. & Aug. de hæres. c. 88. non eo monachatu, cujus Professores, vel soli vivunt in eremis, vel in cœnobis, sed in propria domo, veste ad pietatem composita; vocatur enim a Zozimo, in Ep. ad Episcopos Africa, laicus. Erat vir ingenii acuti, versuti, & facundi, pietatem exterius præ se ferens, ita ut S. Aug. l. 3. de peccat. meritis c. 1. ipsum Sanctum, & non parvo profectu Christianus dicat; sed intus Liguritus, cupidinosus, & obsoniorum condimentis maxime addictus, teste Isidoro Pelusota Ep. 314. & Orosio in Apol. c. 27.

II. Sux hæreses natus est Pelagius patronum & assertorem fervidum & effrontem Coelestium, cujus patria ignoratur. Nobili genere natus dicit Marius Mercat. Is perversitati Pelagianæ propagandæ tantam navavit operam, ut hujus sectatores etiam Coelestiani appellarentur. Alter insignis hujus hæresos fautor & propugnator fuit Julianus, patria & Episcopatu Eclanensis, Marmoris seu Marmorii Episcopi Capuani ex legitimo matrimonio autè Episcopatum filius, qui Pelagianismi a Zozimo damnati apertè & acriter defensionem suscepit. Is fuerat prius Augustino charissimus, ut testatur S. Doctor Epist. 101. Hi tres fuere præcipui architecti & fautores Pelagianismi.

III. Sux errores disseminare cepit Pelagius circa ann. 405. r. per discipulos & mulierculas, ut moris est apud hæreticos, ut ostendit Hieron. Ep. ad Ctesiphontem, deinde per seipsum. Romæ degens edidit tres libros de Trinitate, & Commentaria in Epistolâ S. Pauli; in quibus non agnoscat traductionem peccati originalis, nisi imitatione. Scripsit duas Epistolas ad Paulinum & Constantium Episcopos: primam ann. 405. in qua videtur constituere gratiam in solo arbitrio; alteram ann. 408. in qua præter liberam arbitrium aliquam gratiam admittit. Ex Aug. l. 1. de grat. Christi c. 27. Ibidem contigit, quòd cum quidam Episcopus, præsentè Pelagio, referret hæc verba Aug.

ex libr. Confess. Da quod jubes, & jure quod vis; his ita commotus fuit Pelagius, ut vix non litigaret cum isto Episcopo. Ex Aug. libr. de dono persever. c. 20.

IV. Gothis Italian vastantibus, secessit Roma Pelagius cum suo Achate Coelesto in Siciliam, ineunte ann. 409. Anno 411. relicta Sicilia profecti sunt Hipponem, hinc Carthaginem, ubi ann. 412. Coelestius cum apertius negaret peccatum originale, in Synodo ibidem congregata anathemate percussus est, & urbe pulsus in Asiam se transtulit, Pelagius in Palestinam. Illic Hæresiarcha, Joannis Jerusalemiani patrocinio fretus, & acitibus pluribus discipulis, suos errores latius & audacius sparsit. Anno 413. scripsit ad Virginem Demetriadem epistolam adulationibus & erroribus relectam. Anno 415. duo Episcopi Galli, Eros & Lazarus, in Palestinam appulsi accusarunt erroris Pelagium. Congregata est Synodus Diospoli, cui præfuit Elogius Cæsariensis; in ea citatus & interrogatus Pelagius quedam accusationis capita negavit, ad alia subdole & æquivocationibus respondit, ita ut Episcopi nihil fraudis suspicari, & intelligentes gratiam, quam admittebat Pelagius, esse eam gratiam, quam intelligit Ecclesia Catholica, hæresi damnata, Pelagium innocentem errore facti pronuntiarent, absentibus accusatoribus propter unitis ægritudinem. Ex Aug. libr. de gestis Pelagii c. 1. Hanc Synodum approbare renuit Innocentius I. ex ejus ep. inter Augustinianas 96. eamque miserabilem vocat Hieron. Ep. 79. non quòd errorem probaverit, sed quòd Pelagius Patribus illuserit.

V. Anno 416. Orosius Hispanus ex Palestina adventit Carthaginem, & illic congregatis Præsulibus ob quedam Ecclesiæ negotia obtulit litteras Erosi & Lazari, accusatorum Pelagii. Patres, iis lectis & recensitis, quæ contra Coelestium in priori Synodo acta fuerant, Pelagium & Coelestium damnarunt. Idem eodem anno præstitit Synodus Milevitana 61. Episcoporum. Utraque Synodus gestorum relationem misit Innocentio I. ut ipse Sedis Apostolicæ auctoritate firmaret. Anno 417. Innocentius, congregato Romæ Concilio, errorem damnavit & Auctores Anathemati subiecit, nisi resipiscerent. Hac occasione dixit Augustinus serm. 2. de verbis Apost. c. 10. Jam de hac causa duo Concilia missa sunt ad Sedem Apostolicam, inde etiam rescripta venerunt, causa finita est: error usinam aliquando finiat.

VI. His commotus Pelagius ad solitas artes confugit, litteras Apologeticas dolo plenas, & ambiguum fidei professionem Innocentio per Coelestium destinavit. Antequam is Romam adveniret, moritur Innocentius. Zozimus ejus successor, dolosis litteris & ambigua fidei professione Pelagii & Coelestii, & eorum ficta protestatione adherendi Decretis Innocentii, & corrigendi, quidquid sancta Sedes corrigendum judicaret, primùm deceptus, Coelestium benignè excepit, illius & Pelagii fidem commendavit; non tamen eos Communioni restituit, nec ab Hæresos nota absolvit, donec de totius causæ statu certior fieret ab Africanis, quorum judicium nimium præceps suspicabatur, & ad quod ideo duriores litteras dedit, quòd præpropere Erosi & Lazaro crediderit. At, responsis Africanorum melius instructus, & fraude detecta diem dixit Coelesto, ut Synodo, quam Romæ cogerat, se sisteret. Verùm ille aufugit, & se examini subtraxit. In eum itaque & Pelagium condemnationis sententiam pronuntiavit Zozimus, qua, errore deposito, perpetuæ poenitentia subiciebantur; quòd sic detraherent, a Communione Fidelium arcebantur. Scripsit insuper Zozimus universis Episcopis epistolam, quæ appellatur Tractatoria, in qua Conciliorum Africanorum Decreta adversus Pelagium & Coelestium approbat, & sui Prædecessoris Innocentii in eosdem sententiam confirmat. Eandem Tractatoriam misit ad Honorium



Imperatorem Ravennae degentem, petens ab ipso, ut Coelestius & omnes Pelagiani urbe expellerentur, & ubique haberentur Haeretici; quod lubens praestitit Honorius edicto dato ann. 418. & altero ann. 419. quo ultimo insuper sanxit, ut Episcopi, qui *Tractatorie* Zosimi non subscriberent, a suis sedibus eicerentur. Annuere universi, exceptis novemdecim, inter quos eminebat Julianus Eclanensis, qui, exemplo huc usque in Ecclesia inaudito, appellaverunt ad Concilium generale. Honorii vestigiis inherentes ejus Successores, Constantius, Valentinianus, Theodosius junior idem sanxerunt; ita ut Pelagiani Roma, Constantinopoli, Epheso, Palaestina, & ferme undequaque expulsi, Nestorianis in aliquod sublevamen & patrocinium se junxerint, cum quibus una damnati fuerunt in Concilio Oecumenico Ephesino ann. 431. a quo tempore delabi coeperunt, & pauci huc illuc dispersi in Occidente remanserunt.

### §. II. Varii status Haeresis Pelagiana.

Præcipuus error Pelagii in hoc versabatur, quod diceret hominem habere tantum a Deo possibilitatem, seu facultatem boni; a seipsa autem solo ejus usum, seu voluntatem & actionem; sique quod bene viveret magis sibi, quam Deo, debere; quia ex necessitate gratiae ad bene operandum contendeat tolli liberum arbitrium. Alter ejus error præcedenti affinis erat, quod peccatum Originale soli Adæ nocuerat, & ad posterum non transiret nisi imitatione: sique quod liberum arbitrium esset in illis æquè sanctum & æquè potens, ac fuerat in Adam innocente; tum, ne si liberum arbitrium sauciatum agnovisset, coactus fuisset necessitate gratiae medicinalis; tum quia non putabat posse stare libertatem sine aequali facilitate ad bonum & ad malum; ita ut prætextu servandæ libertatis fuit illi causa, cur negaverit necessitatem gratiae, & peccatum originale.

Ab hoc duplici errore nunquam recessit Pelagius; in aliis autem minus constans, aliquando aliquid gratiae concessit, prout necesse existimabat ad declinandam invidiam, & subvertendam Catholicorum argumenta. Unde plures hujus Haeresis status communiter distinguunt Theologi, sed variè admodum. Nos sic probabiliter distinguimus. Primus status fuit, in quo Pelagius nullum interioris gratiae auxilium agnovit, sed dixit liberum arbitrium ad bene vivendum, & ad mandata Dei servanda sufficere; supponendo tamen mandatorum cognitionem sive per lumen naturale quoad præcepta naturalia, sive per legem & doctrinam exteriorem quoad mandata positiva; non enim possibilitas observandi præcepta subsistere potest, nisi ea per legem proponantur cognoscantur. Non ergo, ut multi volunt, ab hoc primo statu exiit Pelagius legem & doctrinam, nisi forte quod non statim eam nomine gratiae insigniverit; quod tamen non multo post fecit, ut responderet Catholicis ipsi obprobantibus, quod gratiam Christi penitus exploderet.

Id insuper evincit hoc argumentum: Hic error pertinet ad primum statum Haeresis Pelagianæ, quem docuit Pelagius in Ep. adulatoria ad Demetriadem, & in libero arbitrio, quemque damnavit Synodus Palaestina: hæc enim peracta sunt in ortu Pelagianismi; atque Pelagius in Ep. ad Demetriadem totus est in demonstrando hominem per legem & doctrinam instructum posse observare divina mandata. Aug. libr. de grat. Christi c. 3. refert hanc sententiam ex libris Pelagii de libero arbitrio; gratiam Dei & adiutorium, quo adjuvatur ad non peccandum, aut in natura & libero arbitrio, sive in lege atque doctrina constituit: & Synodus Palaestina hanc Pelagii assertionem damnavit: *Gratia Dei non ad singulos actus datur, sed in libero arbitrio est, & in lege atque doctrina: ergo.* Neque obstat, quod Aug. in libr. de gestis Pelagii c. 23. referat, quod post Synodum Palaestinam ipsi fuerat oblatas Libellus Pelagii, in quo liberum arbitrium gratiam appellabat, *Non aperit ei conjugens legis adiutorium.* Equidem non semper aperte exprimebat, quod semper admittebat versus Haeresiarcha, ut a Catholicis interrogatus, an aliud gratiae auxilium agnosceret præter liberum arbitrium, illico responderet se præterea agnoscere legem & doctrinam. Ceterum hæc duo expressè memorantur in art. 7. damnato a Synodo Diospolitana, quem retulimus.

Secundus status fuit, in quo Pelagius præter liberum arbitrium, legem & doctrinam exteriorem, admisit aliquam gratiam interiorem, scilicet internas illuminationes, quibus intellectus illustraretur & cognosceret, quæ ipsi erant agenda, iisque ad ea moveretur objective. His internis illuminationibus adjuvabat exempla Christi, & remissionem peccatorum. Hæc patet ex dicendis modo. Tertius status fuit, in quo Pelagius, Catholicorum argumentis pressus & agnatus, videtur admisisse aliquam gratiam interioris voluntatem efficiens, non ut absolute necessaria, sed utilis tantum ad bonam operum faciendum, neque gratuito collata, sed naturæ meritis debita;

de quo mox latius. Sed quia circa hæc dissentient Theologi, & revera quid versipellis Haeresiarcha, verborum ambiguitate perpetuo usus, senserit, hanc partem sit obscuram, & tamen nostra referat cognoscere, quid gratia reipsa admisisset, plus enim admittere debemus, quam ipse admisisset, ideo hæc accuratius expendenda sunt. Unde sit

### §. III. Quid gratiae tandem admisisset Pelagius?

Cum ea, quæ in hoc §. dicuntur sumus, petantur ex operibus SS. Hieronymi, & præsertim Aug. adversus Pelagianos, & hi diversa pro diversis temporibus censuerint, opportunum duxi hic annotare ordinem & tempus, quo SS. Doctores opera sua ediderunt. Primus itaque contra Pelagianos in aciem prodit Hieronymus ann. 411. contra hos Haereticos scripsit ad Marcellinum Epistolam 82. alteram 67. ann. 412. ad Ctesiphontem. Anno 415. Dialogos inter Atticum & Critobolum. Anno 419. Epistolam ad Alypium & Aug. Impugnat etiam hanc hæresim S. Doctor in Prælationibus ad libros quatuor in Jeremiam.

S. Aug. ann. 412. scripsit contra Pelagianos tres libros de peccatorum meritis & remissionibus. Eodem anno librum de spiritu & littera. Anno 413. librum de natura & gratia. Anno 417. Sermonem secundum de verbis Ap. post jam damnatum Pelagianismum ab Innocentio, ut constat ex his ejus verbis: *Jam de hac causa duo Concilia, &c.* ut supra §. 1. Eodem anno librum de gestis Pelagii. Anno 418. Duas Ep. ad Sixtum Presbyterum, qui postea fuit SS. Pontifex, quarum præcipua est 105. Eodem anno librum de gratia Christi. Circa id tempus libros de nuptiis & concupisc. Anno 420. 4. libros ad Bonifacium. Anno 421. Enchiridion ad Laurentium, & 6. libros adversus Julianum. Anno 424. libr. de gratia & libero arbitrio. Anno 425. libr. de corrupt. & gratia. Anno 428. opus imperfectum contra Julianum, quo tempore libris retractationum incumberebat. Eodem anno libr. de hæresibus. Anno 429. libros de prædestinatione Sanctorum, & de dono perserv. adversus Semi-Pelagianos. Obiit Augusti die 28. Augusti. ann. 430.

Præmittendum hic breviter, quod infra latius expendemus, gratiam interiorem aliam esse habituales, qua nempè justus sumus, filii Dei adoptivi, & hæredes Regni Coelestis; aliam actuales, qua movemur ad bonum. Et hæc est duplex: una pertinet ad intellectum, & est interior mentis illuminatio: altera ad voluntatem, & est Dei motio, qua voluntas excitatur & inclinatur ad opus pietatis.

Suppono 1. Pelagium non negasse concursum simultaneum, quin nec de eo inter ipsum & assertores gratiæ fuisse controversiam: cum enim ille concursus generalis sit indifferens, & quodam modo jure naturæ omni agenti debitus, non pertinet ad questionem de gratuiti auxiliis. Neque de illo negato Concilio & Aug. unquam reprehenderunt Pelagium; & imò illum agnovisse hunc concursum, eruitur ex Aug. l. 2. de nuptiis & concupisc. c. 4. ubi refert Pelagianos docere, quod *Causarum secundarum efficientiæ potentia operantis Dei intervencit, omne quod est ea administrans virtute, quæ conditit.* Hæc autem operatio & virtus divina omni efficientiæ causarum secundarum immixta est ipse concursus simultaneus. Nec obest, quod Hieronymus in Ep. ad Cresiphontem reprehendat Pelagianos, quod negarent nos egere auxilio Dei ad singulos actus, ut ad curvandum digitum, ad movendum pedem &c. id enim intelligitur de concursu prævio applicante, non concomitante. Suppono 2. ut certum & omnibus notum, Pelagianos admisisse gratias actuales morales exteriores, scilicet legem & doctrinam, atque exempla Christi. Quæstio itaque est, utrum admisissent 1. gratiam habituales. 2. Gratias actuales interiores ex parte intellectus. 3. Et tandem gratias actuales interiores ex parte voluntatis.

Dico. 1. Pelagiani admisissent gratiam habituales, sed non quemadmodum admittenda est. Est contra Suarez & Honor. Tournely. Prob. 1. pars. Quamvis Pelagiani non usurpaverint hanc vocem *Gratia habitualis*, admisissent tamen præcipuos characteres & effectus gratiæ habituales: ergo. Prob. Ant. Pelagius in Comment. in c. 5. Ep. ad Rom. agnoscat *Peccata dimitti abundantia donationis Spiritus S. ac justitiam per Baptismum donari.* In c. 3. Ep. ad Tit. ait, *Baptismum vocari ab Apostolo lavacrum renovationis Spiritus S. quia nos Spiritus S. per Baptismum renovavit.* Apud S. Aug. l. de gratia Christi c. 38. idem Pelagius asserit, *Nos instaurari per gratiam Christi, & in meliorem hominem renasci.* Et l. 1. contra Julianum c. 6. Pelagiani docent parvulos esse baptizandos, non tantum ut sint justi, sancti, filii, hæredes, cohæredes, & membra Christi, sed & templum, & non tantum templum, sed & organa Spiritus S. quæ sunt verba Chrysostomi, & infra ejusdem verba iterum usurpantes: *Hæc de causa infantes baptizamus, cum non sint inquinati peccato, ut eis addatur sanctitas, justitia, adop-*

tio hæreditas, fraternitas Christi, ut ejus membra sint. Et Julianus apud eundem Aug. l. 1. operis imperi. c. 52. ait: *Nos igitur in tantum gratiam Baptismatis omnibus utilem ætatibus confitemur, ut cunctos, qui illam non necessariam etiam parvulis putant, æterno feriantur anathemate. Sed hanc gratiam locupletem spiritualibus donis credimus, quæ multis opima muneriis ac reverenda virtutibus, pro infirmitatibus generibus, & humanorum statuum diversitatibus, una tam remediolorum collatrice, quam moterum virtute medicatur.* Et l. 2. ejusdem operis c. 212. *Gratia autem, inquit, infusa semel, una virtutis suæ impetu, atque compendio, diversa, & plurima dolet crimina;* atque efficere homines justos, sanctos, filios Dei adoptivos, fratres Christi, hæredes, & cohæredes Regni, renovare, instaurare, habere annexa dona, virtutes, remedia pro sanandis diversis infirmitatibus generibus, sunt præcipui characteres, & effectus gratiæ habituales; ac tandem esse donum infusum diversa delens crimina, est ipsissima gratia habituales: ergo.

Respondet Tournely, ista equidem omnia, cum a viris Catholicis, & non suspectis profertur, Catholicorum more esse intelligenda; sed apud fraudulentos Haereticos Pelagianos gravissima latentis erroris suspensio laborare. Dicit itaque, eos his verbis nihil aliud intelligere, quam extemam peccatorum condonationem, & extemum Dei favorem, atque deputationem ad Dei cultum, & Regnum. Sed contra 1. hæc responsio est merè gratuita, & nullo fundamento nixa. Non enim unquam sive a Concilio Africanis, sive ab Aug. accusati sunt Pelagiani, quod absolute negarent gratiam habituales, nec de ejus necessitate fuit inter ipsos, & Catholicos controversia, sed de gratia operis; sui actuali, ut fatentur communiter Theologi, & ipse Tournely §. *Quæ fuerit illa gratia.* &c. Quamvis ergo de gratia actuali fraudulenter fuerint locuti, non est ratio, cur eadem fraus ipsis imputetur quantum ad gratiam habituales, de qua non erat quæstio.

2. Si Pelagiani his verbis magnificis, quæ juxta Tournely in sensu obvio, & apud Catholicos important gratiam habituales, eam verbo tenus admisissent, re autem negassent, hanc fraudem ipsis exprobrasset Aug. sicut sæpe ipsi exprobravit, quod gratiam actuales verbo tenus admitterent, re autem negarent, eam constituendo in libero arbitrio, in lege, atque doctrina; atque id nunquam exprobravit Pelagiani Aug. sed tantum Julianum reprehendit, quod, cum gratiam baptismalem admitteret, quæ est ipsa gratia habituales; 1. doceret eam adultis dari ex meritis; 2. quod nihil conferret virtutis ad cavenda peccata futura, sed cum ea posset homo sine peccato per solum arbitrium vivere; 3. quod parvulis conferretur, ut meliores efficerentur, non ut a peccato originali mundarentur. Hæc enim tria continuo urget Aug. in utroque opere contra Julianum, & in 4. l. ad Bonif. contr. 2. Ep. Julian. ergo non errabat Julianus, quod gratiam habituales negaret.

3. Imò ita eam admittet, ut ipsi Augustino exprobraret, quod eam non satis plene agnoscat, sed labelatet docendo per eam non tolli concupiscentiam: cui objectioni respondens Aug. l. 6. contr. Julian. c. 5. & l. 3. ad Bonifac. c. 3. exprobrationem non regebat Julianum, ut patet, si ipse verbo tenus, & non re eam agnovisset, sed ostendit tantum ex Scripturis gratiam baptismalem non ita perfecte conferri, ut omnem auferat infirmitatem. Ex quibus luce clarius fit, Julianum admisisse gratiam habituales.

Neque juvant Tournely quidam textus, quos citat ex Aug. l. de grat. Chr. c. 38. & l. 6. contr. Jul. c. 23. ubi dicit Pelagium per gratiam, qua instauratur, & renascitur, intelligere dumtaxat remissionem peccatorum: etenim gratia peccatorum remissiva est vera gratia habituales. Reprehendit itaque Pelagianos S. Doctor, quod vellent hanc gratiam ita valere ad remissionem peccatorum præteritorum, ut nihil conferret ad vitanda peccata futura, et desideria vincenda carnalia. Sunt ipsiusmet Aug. verba in ipso textu, quem profert Tournely.

Dico: Pelagiani negabant, nos salvari per subministrationem virtutis, ut patet ex Aug. libr. de grat. c. 6. Ep. 95. & alibi; atque gratia habituales est subministratio virtutis: ergo. R. D. Maj. Pelagiani negabant nos salvari per subministrationem virtutis, quæ sit gratia actualis ad concupiscentias, & tentationes vincendas, C. Maj. Hoc unum Aug. imputat Pelagianis locis cit. videantur. Negabant nos salvari per subministrationem virtutis, quæ sit donum infusum peccata delens, hominem justificans, adoptans, conferens usque ad Regnum, N. Maj. Ad cuius sensum distincta Minori, N. Conseq. Duo ergo per subministrationem virtutis possunt intelligi; primo, & proprie gratia actualis ad bene operandum; secundo paulò latius gratia habituales infusa peccatorum remissiva. Primum negant Pelagiani, non secundum.

Inst. Pelagiani negabant actus supernaturales, & virtutes infusas: ergo & gratiam habituales illorum, & istarum radicem.

R. omisso Ant. N. Conseq. In sensu enim Pelagianorum ad aliud conferebatur gratia habituales, quæ ut esset causa radicalis virtutum, & operationum supernaturalium, scilicet ut tolleret peccatum, naturam instauraret, adoptionem, fraternitatem Christi, & jus ad Regnum conferret. Omisi Ant. Quia Pelagiani non negabant absolute actus supernaturales, id est, actus a voluntate divinitus elevata procedentes; admittent enim naturalem possibilitatem adjuvari divinitus ad sic facilius operandum, quam tamen facultatem posset homo naturaliter mereri, & ea pro libitu uti. Similiter tandem admisissent virtutes infusas ad facilius credendum, sperandum, &c. ut patet ex verbis Juliani, supra cit.

Secunda pars Conclusionis patet ex dictis. Ille enim non admittit gratiam habituales, quemadmodum admittenda est, qui dicit illam dari meritis naturæ & valere tantum ad ornatum animæ, instauracionem naturæ, & ad remissionem peccatorum præteritorum, non ad cavenda futura, neque aliquid conferre ad vincendas tentationes, & ad operandum supernaturaliter; atque sic Pelagiani admittent gratiam habituales, ut probavimus supra ex Aug. & iterum patet ex eodem Hæres. 88. ubi dicit, quod Pelagius doceret non a Deo accipere, sed a seipsis homines habere gratiam, qua liberamur ab impietate, & hanc secundum merita nostra dari. Et libr. de nat. & grat. cap. 34. ubi scribit Pelagium asserere in hoc positam esse gratiam Christi, ut ignoscat commissa præterita, non ut adjuvet ad futura vitanda. Unde S. Doctor cap. 30. de grat. Christi, istam quippe gratiam, inquit, qua justificamur, id est, quæ charitas Dei diffunditur in cordibus nostris per Spiritum S. qui datus est nobis, in Pelagii, & Coelestii scriptis, quæcumque legere potui, nusquam eos inveni, quemadmodum confutanda est, confiteri.

Colliges ex dictis quantum a vero aberrat, vir aliunde eruditissimus, Thomassinus Oratorii Jesu Presbyter, dum in opere gallice scripto *Memoire sur la grace*, dicit præcipuum concertationem inter Augustinum, & Pelagianos fuisse de gratia habituales. Præter namque dicta, quibus hæc opinio abundè confutatur, addo sequentia: 1. Gratia, de qua Aug. contra Pelagium, est necessaria ad singulos actus pietatis, ut continuo urget S. Doctor; atque talis non est gratia habituales, cum ante illam eliciantur actus fidei, spei, &c. quibus disponitur peccator ad gratiam habituales: ergo. 2. Gratia ab Aug. propugnata adversus Pelagianos ea est, quæ justis aliquando non conceditur, l. 2. de peccatorum meritis c. 19. Item, in qua perseverantes a non perseverantibus distinguuntur, libr. de persever. Item, quæ justis adhuc necessaria est, & imploranda ad vincendas tentationes, ex locis cit. Item, quæ Deus corda hominum indeclinabiliter in bonum convertit, & quæ de volentibus facit volentes, ut passim docet Aug.; atque hæc non gratiæ habituales, sed actuali competunt: ergo.

Dico: cum laudato Thomassino: 1. Aug.; tribuit gratiæ, a se adversus Pelagianos propugnatae, effectus, qui competunt gratiæ habituales, ut quod a peccato liberet, justificet, & filios Dei adoptivos efficiat. 2. Eam vocat passim charitatem diffusam in cordibus nostris, hæc autem est donum habituales. 3. Dicit, eam esse communem parvulis, & adultis; quod soli gratiæ habituales, non actuali, cuius non sunt capaces parvuli, competit. 4. Dicit, quod nulli d. beatur, & quod sit fructus Redemptoris Christi, non munus Creatoris; motio autem actualis primi moventis quodam jure debetur ei, in quo præexistit habituales dispositio ad illam, & a Creatore descendit: ergo. R. ad 1. quod, cum gratia actualis disponat ad habituales habendam, & eam habitam perficiat & conservet, quidquid habituales facit formaliter, actualis præstat efficienter: undem iidem effectus sub hæc diversa ratione utrique tribuuntur. Ad 2. R. Augustinum nomine charitatis comprehendere, non solum donum habituales, sed quascumque piæ affectiones, quæ eam a Deo diffunduntur in cordibus nostris. Ad 3. R. Augustinum nomine gratiæ actualis non solum intelligere motionem actuales, qua voluntas inclinatur ad opus bonum, sed omne beneficium, quo Deus ad justificationem perducat, & in ea perseverare facit. Unde pro gratia actuali reputat, quod parvulo, antequam moriatur, Baptisma conferatur, quod Minister adit, quod Parentes offerant, &c. Ad 4. R. gratiam actuales non esse præcisè motionem generalem, qua Deus ut Creator, & primum movens applicat omnia agentia ad actum, licet eam includat; sed specialem ex meritis Christi derivatam, qua cor a creatura ad Deum convertitur, qua contra tentationes protegitur, & ita in bono firmatur, ut perseveret. Insuper, ut mox monui, Aug. sub nomine gratiæ actualis comprehendit quæcumque conducunt ad salutem, ut quod iste moriatur, antequam cadat; quod alter vivat, donec resipiscat, &c.

Dico 2. Pelagiani in secundo statu suæ hæreseos admisissent gratias actuales interiores ex parte intellectus, scilicet in-







cienda, factamus, ac per hoc divinitus dari nobis scientiam, qua ignorantia pellitur: charitatem autem dari negamus, qua pie vivitur, ut scilicet, cum sit Dei donum scientis, que sine charitate inflat, non sit donum Dei ipsa charitas, que ut scientia non inflat, edificat: ergo Aug. Pelagiani omnem gratiam in lege, & doctrina stauerunt, quibus possibilitas juvaretur; gratiam autem, qua pie vivitur, id est, actionis, rejecerunt. K. ut supra D. 1. partem Consequentis, omnem gratiam possibilitatis in lege, & doctrina stauerunt, Transeat. Dubitavit enim alibi Aug. an præter gratias morales aliquid amplius non admisit Pelagius, ut observavius supra. Omnem gratiam voluntatis, & actionis, N. Non enim potuit dicere Aug. gratiam, quam Pelagius docebat dari secundum merita, esse arbitrium adjectum per legem, & doctrinam, siquidem arbitrium, lex, & doctrina dantur ante omne opus bonum, ac perinde implis, & justis.

Unde ad 2. partem Consequentis, D. pariter: gratiam, qua pie vivitur, id est, actionis, rejecerunt quoad prævia illius gratie meritoria, C. Quoad opera subsequenta, subdistinguo: rejecerunt ut absolute necessariam, C. ut utilem, & ad ea facilius, & perfectius perficienda, N. Solutio patet ex dictis, sed & maxime ex ipsis Aug. verbis immediate præcedentibus ea, quæ nobis obijciuntur. Denique Pelagius, inquit S. Doctor, a Fratribus increpatus, quod nihil tribueret adiutorio gratie Dei, correptioni eorum hæcensis cessit, ut non eam libero arbitrio præponeret, sed infideli calliditate supponeret, dicens ad hoc eam dari hominibus, ut que facere per liberum arbitrium arbitrium, facilius possint implere per gratiam. Ubi vides, Pelagianos, Catholicorum correctioni cedentes, tandem veram eorum gratiam admisisse; sed in hoc eam adulterasse, quod illam supponerent libero arbitrio, id est, vellent eam dari juxta prævia libertatis merita, nec absolute esse necessariam, sed utilem dumtaxat ad melius, & facilius agendum. Unde, etsi concederemus, S. Aug. in verbis sequentibus nobis objectis loqui de gratia ad omnia bona opera etiam subsequenta, & perfectiora, merito dixit, Pelagianos negasse gratiam, qua pie vivitur, a Deo dari, & esse donum Dei; cum enim assererent sine illa absolute nos posse consequenter pie vivere, & meritis nos eam acquirere, inde sequebatur non tam dari a Deo, quam esse a nobis, nec dari ad pie vivendam, sed pie viventibus.

#### Consecraria præcedentis Doctrina.

Colliges 1. Pelagianos in ultimo statu suæ Hæreseos ad Semi-Pelagianismum declinasse; cum hoc tamē discrimine; quod Semi-Pelagiani vellent tantum initium bonæ voluntatis, seu fidei, qualecumque (quod volebant donari titulo boni operis) esse a nobis; opera verò bona esse a gratia Dei intuitu initialis bonæ voluntatis collata. E contra Pelagiani contendebant, etiam bona opera esse a nobis, eaque esse meritoria gratiæ, quæ tamē non nisi ad melius, & perfectius operandum esset utilis, non omnino necessaria.

Colliges 2. tres fuisse præcipuos errores, quibus Pelagiani pertinaciter adhaesere, quos retulimus ex Aug. c. 2. de dono persever. Primum, nempe aliorum fontem, nullum peccatum ab Adamo ad posterum traduci; sed solo exemplo primum Parentem nobis nocuisse; ut jam observatum est, & idē naturam nostram nullatenus fuisse vitiatam, sed æquē habilē ad bonum, ac fuerit in Adamo ante lapsum. Hinc gratiam non esse necessariam ad bene vivendum, sed bene viventibus conferri, ut perfectius, & facilius Deum colant. Concedebant tamē; pueris utiliter conferri Baptismum, non ut a peccato mundarentur, sed ut gratia per eum collata hæredes herent Regni cælestis. Secundus error ex hoc primo fluens est, gratiam dari secundum merita nostra. Tertius est, homines bene utendo libero arbitrio ad tantam perfectionem pervenire, ut omne peccatum etiam collectivē vitare possent, nec ad hoc indigerent gratiæ auxilio. Hi, inquam, tres sunt errores præcipui, a quibus nunquam recesserunt Pelagiani, & ad quos reducuntur alii minus præcipui; v. gr. concupiscentiam non esse malam, quia proprietas est nature; morbos, & miseria non esse originalis peccati poenas; Adamum; etsi non peccasset, perire moriturum; parvulos sine Baptismo morientes habere quandam beatitudinem, non tamen Regni cælestis; idem de adultis infidelibus, qui legem naturalem servassent.

Colliges 3. gratiam, de qua tandem fuit contentio inter Aug. & Pelagianos, fuisse gratiam actus, seu voluntatis & actionis, necessariam ad singulos pietatis actus, & gratuito, non ex meritis nature collatam. Quia, ut probavimus, Pelagiani admisit gratiam habitalem, gratiam possibilitatis, gratias morales ex parte intellectus, imo probabilis gratiam voluntatis, & actionis, sed non gratiam, nec necessariam. Colliges 4. Hanc gratiam voluntatis, & actionis, necessariam, &

gratiam, quam Aug. præsertim propugnavit adversus Pelagianos, non fuisse gratiam indifferentem, & expectantem consensum nostrum, ut sit efficax, sed per se, & vi sua hujus consensus, & operis efficacem.

Patet 1. quia Aug. totus, & perpetuus fuit, ut defenderet gratiam, quæ facit ut faciamus, efficiendo de nolentibus volentes, de repugnantibus consentientes, cuique tribuit quidquid boni fit a nobis, consequenter hoc ipsum, quod gratiæ consentiamus: hujusmodi autem gratia, ut patet, non est indifferens, & expectans consensum nostrum, ut sit efficax, cum illud efficiat: ergo ex se, & ex propriis est efficax, & determinans voluntatem ad consentiendum. 2. Pelagiani, & Semi-Pelagiani recusabant admittere gratiam, quam defendebat Aug. quia criminabantur per eam tolli libertatem, nos nihil operari, fatalem induci necessitatem, correptionis, exhortationis, & orationis necessitatem tolli, homines in desperationem adigi, ut patet ex omnibus Aug. operibus; atqui hæc contra gratiam indifferentem omnibus oblatam, & ex consensu voluntatis indifferentem omnibus oblatam, & ex consensu voluntatis efficacem, non obijciuntur viri aliunde acuti, & intelligentes: ergo. Plurima in hanc rem Aug. testimonia refert Jansens Elinga Dissert. 12.

Observandum est, me dixisse simpliciter gratiam per se efficacem, ut abstraherem a modo, quo hæc ejus efficacia explicatur, sive per motiones morales, sive per delectationem, sive per actus indeliberatos, sive per multiplicationem auxiliorum, sive per Dei decretum immediate, sive tandem per motionem fluentem, seu promotionem physicam; magis enim intendent Aug. defendere necessitatem gratiæ, quæ consensum nostrum non expectaret, sed illum ex omnipotentissima Dei voluntate efficeret, quàm hujus efficaciam modum inquirere.

Dices cum Honor. Tournely. Gratia, quam Aug. propugnavit contra Pelagianos, pertinet ad fidem Ecclesiæ, ut constat ex ipso Aug. libr. de Grat. Christi c. 19. & ex Innocentio I. in Ep. ad Patres Carthaginienses inter Augustinianas 91; atqui gratia per se efficax non pertinet ad fidem: alioquin forent Hæretici, qui illam impugnant, quod nefas est dicere: ergo. Respondent quidam, duo esse distinguenda in Aug. doctrina; nempe gratiæ necessitatem, & ejus efficaciam, seu modum efficacitatis a seipsa: utrumque quidem propugnavit Aug. Primum certò ut fidei dogma; at non ita constat de secundo, adeoque, nec certum, quod Pelagianos accessisset Hæreticis, si concessissent hujus gratiæ necessitatem, eamque non dari secundum merita, quamvis negassent eam esse per se efficacem. Unde ex nostra assertione non sequitur, Catholicos impugnatōres gratiæ per se efficacis, qui duo prima concedunt, & ultimum negant, esse Hæreticos, sed dumtaxat eos adhaerere systemati ab Augustiniano alieno. Ut quamvis sint quædam eorum Doctrinæ consecraria, quæ Pelagianorum, & Semi-Pelagianorum erroribus propriis accedere videantur, hæc tamē negant sequi ex suo systemate. Alii, quibus certum videtur Aug. propugnasse ut dogma fidei gratiæ per se efficacis necessitatem, brevius respondent ad minorem; Judicet, inquit, Mater Ecclesiæ; ante cujus judicium nemo est condemnandus.

## ARTICULUS II.

### De Semi-Pelagianismo.

#### §. I. Synopsis historica, et errores Semi-Pelagianismi.

I. Pse S. Aug. libr. de Prædest. Sanct. c. 3. fatetur, se ante I. Episcopatum fuisse in errore; qui postea fuit Semi-Pelagianorum, sed ab eo revocatum illo Apostoli dicit: *Quid habes, quod non accepisti?* &c. Vitalem quemdam Carthaginiensem in eo etiam errore versatum fuisse, probat Ep. 107. ejusdem Aug. ad ipsum data, qui sancti Presulis admonitionibus obtemperans errorem statim deposuit.

II. Cum Florus Monasterii Adrumetini Monachus 4. circiter annis post scriptam Ep. 107. ad suum Monasterium detulisset alteram ejusdem Aug. Ep. 105. ex ea conturbati sunt nonnulli Monachi, quod crederent ex Aug. Doctrina everti liberum arbitrium; qua de causa S. Antistes, & ut pacem eo in Monasterio restitueret, scripsit librum de Gratia, & lib. arbitrii, quo non obstante quidam, non valentes intelligere concordiam libertatis cum gratia, dixerunt secundum Aug. doctrinam neminem esse corripendum, si præcepta non servaret, sed orandum, ut servet; ad quam consequentiam confutandam scripsit Aug. alterum librum de Corrupt. & Gratia. Hi ergo Monachi non Prædestinariani annuerunt: sunt, quasi negarent liberum arbitrium ad adstruendam gratiam; ut nonnulli perperam opinati sunt, sed potius Semi-Pelagianis, cum ut isti postea fuerunt, conquirerentur tantum, Doctrina Aug. extingui liberum arbitrium.

III. Hoc autem libro de Corrupt. & Grat. delato Massiliam,

liam, ita commoti sunt quidam hujus urbis Presbyteri, eruditione, & Religione conspicui, ut in apertam hæresim eruperint. Et hi proprie dicti sunt Semi-Pelagiani, quia in aliquibus a Pelagio recedentes, in aliquibus ei adhaerebant. Admittebant contra Pelagium Peccatum Originale, & necessitatem gratiæ ad operam salutis: at eam cum ipso negabant ad initium salutis, & perseverantiam: & circa hæc duo vertebatur tota eorum hæresis, quæ ad hæc tria præcipua capita reduci potest.

IV. Primum docebat, Prædestinationem, sive ad gratiam, sive ad gloriam non esse gratuitam, sed Deum æquali affectu omnes homines, tam reprobos, quam prædestinatos, prosequi, & omnibus æqualiter gratiam, & gloriam offerre; ita ut illi gratiam habeant, qui ex se illi consentiunt, seu eam apprehendunt; & gloriam, qui in accepta gratia ex se perseverant: Deum autem ab æterno ad gratiam prædestinasse, quos prævidit esse consensuros, & ea bene usuros, & ad gloriam, quos pariter prævidit in ea ex se perseveraturos. Et cum premerentur exemplo parvulorum, quorum aliqui sine proprio merito prædestinantur ad Baptismum, & ad Regnum, alii sine proprio demerito prædestinantur ad mortem; respondet, Deum uti præscientia futurorum conditionum, quæ nunc appellantur scientia media, & tales prædestinare ad vitam, vel ad mortem, quales futuros illos in annis majoribus, si ad adultam ætatem servarentur, scientia divina prævidit. Ita refert Prosper in Ep. ad Aug. Hinc asserunt, numerum Prædestinatorum non esse certum, quosdam in hunc ordinem in dies adscribi, quosdam expungi: Christum æqualiter esse mortuum pro omnibus, & æqualiter mortis suæ pretium omnibus dispensasse, ita ut nihil plus beneficii reciperent vasa misericordie, quàm vasa iræ.

2. Quamvis admitterent necessitatem gratiæ ad opera salutis, illam tamē denegabant ad initium salutis: illud autem initium reponebant in quodam affectu credulitatis, in pulsatione, petitione, seu desiderio salutis, vel etiam in ipso consensu gratiæ oblatæ. Hæc enim non annumerabant inter opera salutis, sicut; inquebant, desiderare, aut petere Medicum, se credere medico, non sunt opera sanitatis. Hinc utrumque error sequentibus rationibus defendebant: 1. Quia, licet agnoscerent vires arbitrii per Peccatum Originale esse debilitatas, non tamē esse penitus extinctas: unde, sicut in primo statu gratia juvabat operantem, in statu nature lapsæ juvat volentem, seu consentientem. 2. Quia aliquando Deus esset injustus acceptor personarum, si absque aliquo prævio merito, vel dispositione alteri daret gratiam, alteri denegaret. 3. Quia hanc prædestinationem gratuitam, & hanc vitiosem gratiam, quam requirebat Aug. tam ad initium, quam ad opera salutis, existimabant excidium libertatis, inducere fatalem necessitatem, tollere utilitatem correptionis, & orationis, & ad desperationem adigere.

3. Circa perseverantiam idem docebant, quod circa initium salutis, ad eam nempe non requiri gratiam, sed esse ex nobis: quia perseverantiam non reponebant in aliquo actu, quo justus perseverare vellet (hic enim actus est perfectæ virtutis, & opus salutis, quale illi nollebant fieri sine adiutorio gratiæ); sed in eo reponebant perseverantiam, ut quis cooperanti Deo suum consensum constanter præberet. Unde initium salutis, & perseverantia juxta Semi-Pelagianos in eo coincidebat, quod, cum primo incipimus Deo consentire, sit initium salutis; cum verò in illo consensu jam præstito usque ad finem vitæ permanemus, sit perseverantia. Hæc omnia constant ex Epistolis Prosperi, & Hilarii ad Aug.

#### Auctores Semi-Pelagianismi.

V. Celebrior fuit Joannes Cassianus, Collator dictus ob libros Collationum Patrum; in quibus, & præsertim collatione 13. quæ est Cherenouis Abbatis, errorem apertè docuit. Qua patria sit oriundus, incertum est; alii Scythiam, alii Galliam dicunt: ut sit, monasticam vitam adolescens professus est, & peragratis Palestinæ, & Ægypti Cœnobis Constantinopolim appulsi, ubi a S. Joanne Chrysostomo Diacono ordinatus est; quo defuncto, venit in Gallias, & Massiliæ substituit. Non obstat, quod aliquando loqui videatur catholicè; ea enim sors, & frans Hæreticorum contraria scribere: idque Cassiano exprobat S. Prosper libr. cont. Collat. Faustus ex Lirinensi Abbate Episcopus Rhægensis ex Collationibus Cassiani cum quibusdam aliis Monachis errorem hausit, ejusque fuit acerrimus Defensor in libr. de grat. & lib. arbitrii. quem edidit contra Prædestinianos. Ceannidius Presbyter Massiliensis in libro de viris illustribus huic causæ, & errori palam patrocinatus est. His accessit quidam Vincentius, cujus objectionibus respondet S. Prosper. An fuerit celebris Vincentius Lirinensis, auctor Communionis adversus prophanas Novitates, an quidam alius, disputant Auctores. Vasquez Semi-Pelagianis annumerat magis.

Theol. Billuati. Pars Secunda.

num Chrysostomum; sed injuria, cum veritatem contrariam apertè doceat in variis operibus, præsertim homil. 1. de Adam, & Eva. Cæterum observandum est, plures Auctores excusari ab hæresi formali Cassianum, Faustum, Gennadium, & eorum contemporaneos; quia eorum error nondum tunc ab Ecclesia fuerat apertè damnatus, quod non est improbabile, ut patebit infra: & quidem Cassianus, & Faustus cultu Sanctorum in suis Provinciis decorantur.

#### Impugnatores Semi-Pelagianismi.

VI. Semi-Pelagianorum errores Augustinus a S. Prospero, & Hilario (quis fuit iste Hilarius, an Episcopus Arelatensis, an alius, dubium est) monitus, primus omnium confutavit sub finem vitæ, duobus libris de prædest. Sanctorum: & de dono persever. ipsis Prospero, & Hilario inscriptis anno circiter 429. Mortuo Aug. & idē invalenscentibus Semi-Pelagianis, Prosper, & Hilarius profecti sunt Romam ad Cælestinum Papam, ut eos reprimeret. Is ann. 432. ep. data ad Galliarum Episcopos S. Augustini doctrinam vindicavit adversus Semi-Pelagianorum calumnias, dicens inter cætera, quod numquam hunc sinistra rumor aspersit.

Annexa sunt huic epistolæ decem Capitula, quibus errores Semi-Pelagianorum proscibuntur. Hæc Capitula esse Cælestini, negant quidam Recentiores: attamen a Petro Diacono non multis post annis in libro de Incarnat. Christi, item a Cresconio, & Dionysio Exiguco Cælestino adscribunt, atque ab omnibus antiquis sub ejus nomine citata fuere usque ad ann. 1591. quo Editor Decretalium ad marginem apposuit, hæc fuisse a Prospero addita: quæ tamē annotatio non habetur in vetustis Codicibus, præcipue in illo, qui Vaticano asservatur, ut testatur noster Gonzalez, olim Collegii nostri Romani Regens. Indeque redditur suspecta hæc adnotatio marginalis, quod adjecta sit tempore, quo fervebant disputationes de Auxiliis, ann. scilicet 1591. Unde apparet, quod, si hæc Capitula non sint Cælestini, saltē sunt ejus jussu, vel approbatione scripta a S. Prospero, vel aliquo alio Doctore, hocque temperamento facilius ab hæresi excusantur primi Semi-Pelagianismi Auctores, & Fautores. In 5. autē ex his Capitulis legitur, quod ita Deus in cordibus hominum, atque in ipso libero operatur arbitrio, ut sancta cogitatio, pium consilium, omnisque motus bonæ voluntatis ex Deo sit. Et in 7. quod hoc auxilio Dei non aufertur liberum; sed liberatur.

Anno 433. S. Prosper Cassianum impugnavit edito contra Collatorem libro, qui vix lucem aspexit, cum Semi-Pelagiani quindecim propositiones absurdas, & erroneas velut a S. Aug. assertas in vulgus sparserunt; quibus respondit S. Prosper Opusculo, quod inscripsit, *Responsiones ad capita Gallorum.*

Eodem fere tempore Presbyteris Genuensibus Camillo, & Theodoro, quadam dubia circa Aug. Doctrinam patientibus, satisfecit Opusculo inscripto, *Responsiones ad Excerpta Genuensium.* Sub idem fere tempus, idem S. Prosper Opusculo inscripto, *Ad Capitula Objectionum Vincentianorum Responsiones,* confutavit Iudicium, a quodam Vincentio editum, sexdecim propositionum impiarum, quas Augustini Doctrinæ affligebat.

Auctor operis de *vocatione Gentium*, sive Prosper, sive alius, etiam Semi-Pelagianos expugnavit.

Ann. 494. Gelasius Papa in Synodo Romana Fausti, & Cassiani libros damnavit sanctorum verò Aug. & Prosperi opera comendavit.

Ann. 520. Scythæ Monachi, inter quos eminebant Maxentius, & Petrus Diaconus, & qui assertionem hujus propositionis, *Unus de Trinitate passus est carne*, tot turbas sub Hormisdæ Pontificatu excitant, etiam Fausti libros impugnarunt dato libello de *Incarnatione, & Gratia* ad Episcopos Africanos in Sardinia exules. Hi Monachis responderunt eorum fidem probantes, & Fausti doctrinam, tacito tamē ejus nomine, refellentes. Interea temporis Hormisdas Fausti libros, in Ep. ad Possessorem ex Africa Constantinopoli exulem data, nullius in Ecclesia auctoritatis esse declaravit.

Ann. Christi 522. Fausti libros, de quorum orthodoxia maxima tunc erat disputatio, ad eosdem Africanos Episcopos in Sardinia exules transmiserunt idem Scythæ Monachi, ut de illis sententiam dicerent. Hos ut Hæreticos damnarunt sancti Antistes ann. 523. & S. Fulgentio contra Faustii errores scribendi provinciam imposuerunt. Is Responsus Episcopus cum aliis exul. 6. libros *De gratia & libero arbitrio* contra 2. libros Faustii elucubravit. Redux in suam Ecclesiam 3. libros *De veritate prædestinationis, & gratiæ* adversus Faustii Sæctores conscripsit.

S. Casarius, ex Monacho Lirinensi primū Monasterii prope Arelatum Abbas, deinde Arelatensis Episcopus, librum *De gratia, & libero arbitrio* adversus errores Faustii, & in Augustini Doctrinæ commendationem edidit.

Eccle 2

Fe-